ILLVSTRI ET GENEROSO DOMINO

AC DOMINO ERENFRIDO COMITI AB ORTENBVRG, *Libero Baroni in Freyenſtain, & Carlſpach &c. in Celeberrima Ingolſtadienſi Academia* RECTORI *eximio, & Patrono ſuo ſingulari. Carolus Agricola Ammonius. S. D. P.*

Poſteaquam, Illuſtris & Generoſe Domine Comes, Rector Magnificentiſſime, Concluſionibus ſeu poſitionibus DE ROMANO IMPERIO, *deq; obedientia Magiſtratui in rebus diuinis debita, quas ex doctiſſimis prælectionibus ordinarijs, Excellentiſſimi Viri, D. Franciſci Zoannetti, hic Primarij legum profeſſoris, & Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Conſiliarij, decerpſeram, & ingenij exercendi cauſa publicé diſputandas, Clementiæ tuæ Magnificentiſſime Rector dicaueram, præſidere atq; mihi reſponſuro adeſſe Inſtitutionum Imperiálium profeſſor omnibus modis recuſauit. Proinde nouas concluſiones ex Inſtitutionibus Impèrialibus duntaxat deſumpſi, quas & Celſitudini tuæ (licet profecto quæ in conſpectum tuum appareant, uelut exiguæ nimis, indignas) reuerenter dicarem, & (tua ſcilicet interceſſione) ſub patrocinio Clariſſimi Doctoris, Nicolai Euerhardi Iunioris, earundem Inſtitutionum profeſſoris defenderem. Quemadmodum igitur primo ſumma benignitate es me complexus, ut ſecundo meos conatus aſpernari non renuas, & quod humiliter offerimus, boni conſulas, obſecro. Fæliciſſimè ualeat eadem T. C. quam Deus omnipotens ſaluam & florentem diu nobis conſeruet oro. Ingolſtadij. 8. idus Auguſti, á Virgineo partu. M. D. LIX.*

D. I. A.

In Inſtitutionibus Imperialibus, ex titulo de Adoptio.

EXplicationes Accurſij & ſequatium adductas ad §. Sed & illud utriuſq;. non conuenire.

Ex titulo de Rerum diuiſio. In inſtitu.

II. Non rectè à Doctoribus intelligi. §. & quidem naturali iure. Inſti. de Rerum diuiſio.
III. Perperam ab Interpræribus accipi. §. Flumina autem, eod. tit. quem nos præter omnes iuſtè explicabimus.
IIII. Senſum §. Riparum quoq;. & §. Littorum. eod. tit. longè alium eſſe, quam cenſeant ſcribentes, à nobis demonſtratum iri.

Ex titulis Seruitutum. in Inſtitutionibus.

V. Negatiuæ Seruitutis quaſi poſſeſsionem, ex prohibitione alteri facta, cui contradictum non ſit, acquiri.
VI. Prædictæ Seruituti, ſi habet cauſam continuam, decem annis inter præſentes, & uiginti inter abſentes, præſcribi.
VII. Negatiuæ Seruituti non habenti cauſam continuam, tanto præſcribi tempore, cuius initij nulla extet memoria.
VIII. Quæ nam ſint ille Seruitutes, quæ cauſam dicantur habere continuam, & quæ interpollatam, à nobis ex Bartoli ſententia tradetur.
IX. Quaſi poſſeſsionem in ſeruitutibus affirmatiuis non prius acquiri, quam quis triginta dies, non ui, non clam, non precario illis ſit uſus Seruitutibus.
X. Seruitutes duas, Realem & Perſonalem, præcipuas tantum à Prudentibus tradi: nos uero Tertiam hodiè in Rom. eſſe Imperio, oſtendemus.

Ex tit. de Hæred. quæ ab inteſt. defer. in Inſtitu.

XI. Difficilis atq; admirabilis. §. Item uetuſtas, iuſtè à nobis declarabitur.

Ex tit. de Bon. Poſſeſ. in Inſtitu.

XII. §. Quos autem, hactenus non optimè declaratus, à nobis elucidabitur.

Diſputabuntur quibuſcunq; die & hora ipſi Domino Præſidi commodum erit.

Ad fratrem TIMOTHEUM.

Hæc tibi, frater no[ster] quem iunctus sanguine, mittit,
Hortatur studia ad, ~~Q~~ memor esse velis
quatecunque vocat pietas, ~~[illegible]~~. tu corripe gressum
Principibusque iuuat complacuisse Viris.

179

1559